



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

236. De eo qui vivente marito conjugem illius adulterasse accusatus  
perhibetur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

300 REGINONIS LIB. II.  
mina adulterium vel fornicationem fecissem,  
quod ego non ita feci. nec inde me culpabilem  
recognosco. Sic me Deus adjuvet ad istud ju-  
dicium suum.

Juramentum post datam pœnitentiam de  
perpetrata luxuria.

Burchard. lib.  
9. c. 80.

CCXXXV. Ab isto die cum femina cum  
qua adulterium vel fornicationem fecisti, un-  
de disciplinam vel pœnitentiam suscepisti, am-  
plius non adulterabis, nec fornicaberis, nec  
eam in uxorem accipies, nisi fortè post pera-  
ctam pœnitentiam tibi licentia data fuerit ab  
Episcopo aut ejus Misso. Sic te Deus adjuvet.

De eo qui vivente marito conjugem illius  
adulterasse accusatus perhibetur.

*Ex synodo Meldensi.*

Concil. Meld.  
c. 69.  
Burchard. lib.  
9. c. 65.

CCXXXVI. Is qui vivente marito con-  
jugem illius adulterasse accusatur, & eo in  
proximo defuncto eandem sumpsisse dinosci-  
tur, omnimodis publicæ pœnitentiæ subiga-  
tur. de quo etiam post pœnitentiam, præfata,  
si expedierit, servabitur regula, nisi fortè  
idem aut mulier virum, qui mortuus fuerat,  
occidisse notentur, aut propinquitas vel alia  
quælibet actio criminalis impediatur. quod si  
probatum fuerit, sine ulla spe conjugij cum  
pœnitentia perpetuò maneat. Si autem nega-  
verit se eandem feminam vivente viro adulte-  
rasse, & præfati homicidij nemo eorum reus  
extiterit, & probatis testibus neutiquam con-  
vinci potuerit, purgent legaliter famam suæ  
opinionis, & sumpto utantur conjugio, si

alia, ut diximus, non impedierit ratio.

De eadem re. *Ex Concilio Triburienfi.*

CCXXXVII. Relatum est auribus sanctorum sacerdotum quendam alterius uxorem stupro violasse, insuper & mœchæ vivente viro suo juramentum dedisse ut post legitimi mariti mortem, si supervixisset, duceret in uxorem, quod & factum est. Tale igitur concubium prohibemus & anathematizamus.

Concil. Tribur. c. 40.  
Burchard. 1 b.  
9. c. 66.

Invocatio de morte mariti vel uxoris.

CCXXXVIII. De hoc quod tu accusata es in præsentia istius Episcopi, in hac synodo, quod per tuum factum & per tuum consilium tuus maritus illius vel tua conjux illius mortem recepisset, & vitam perdidisset, omnino non est ita, nec tu in ejus vita aut membris quicquam fecisti aut cum aliis consiliatus es unde merito secundum ecclesiasticum judicium pœnitentiæ remedia suscipias, aut secundum mundanam legem mortem aut aliquod damnum sustineas. Sic te Deus adjuvet ad istud judicium.

Juramentum vel invocatio de homicidio imputato.

CCXXXIX. De hoc quod tibi imputatum est in præsentia tui Episcopi, cujus parochianus es, quod tu illum hominem cum aliis hominibus sequacibus tuis occidisses propter hanc causam ut bona illius diriperes, & ejus uxorem tibi in matrimonium sociares, in veritate non est ita, nec tu solus nec cum